



FR. FERDINANDO MATTEI

MELITENSI

AD ARCHIEPISCOPALEM RHODI

EPISCOPALEM MELITAE SEDEM

NUPER ERECTO

EPIGRAMMATA ALIQVOT CVM ELEGIA

SACERDOS BARTHOLOMAEVS ATTARD

IN EPISCOPALI EPHEBEO

HVMANIORVM LITTERARVM PROFESSOR

IN OBSEQVENTISSIMI ANIMI

MONVMENTVM

D. D. D.

1809.

FR. FERDINANDO MATTEI 3

ARCHIEPISCOPO RHODI,  
EPISCOPO MELITAE,

ut paucos hos versus  
in ipsius laudem confectos  
benigne excipiat

EPIGRAMMA

I.

QUOD parcus vena deduxi paupere carmen,  
Perfundit nullo quodque Thalia sale;  
Tu, PRAESUL, blando, supplex precor, excipe vultu;  
Materies laudi non licet apta tuae.  
Nempe tuam potius nostra ornat carmina nomen;  
Nomen quam celebrant carmina nostra tuum.

AD MELITAM

II.

Quam faustus tibi Terra, dies, Melitaea, recurrit,  
Quo decorat GERMEN mitra corusca tuum!  
Vix similis per tot tibi saecula illuxerat alter:  
Vix alter tanto dignus honore fuit.

AD EAMDEM

III.

Quam merito gaudes, fortunatissima tellus,  
PASTOREM indigenam cernere posse tuum!

Non minus at gaude (referam ne cetera longus)  
**PONTIFICEM**, Melite, melleum adesse tibi.

## AD MELITENSES

### IV.

O quoscumque fovet Melitæ, sua pignora, tellus,  
 Natalis quibus est gloria cara soli;  
 Sistite jam rapti gemitus ex funere Patris:  
 Luctusque in grandem vertite lætitiā.

**PRAESUL** nempe mitra nobis novus ecce coruscit:  
 Nostræ jam **SPONSUS** Matrīs, & ipse **GENUS**.  
 Hic est **FERNANDUS**. Vivat, jam dicite, vivat  
**FERNANDUS FRATER**, noster & ipse **PATER**.

## ALIUD

### V.

Cingere victrici, Melitæa Colonia, lauro:  
 Et choreas nexis plaude canora choris.

Fulget Hydaspeo tibi lux signanda lapillo:

Ista tibi niveas inter habenda dies.

Si qua cupido tui tua pectora tangit honoris;

Ista dies patriæ lucet, honora tuæ.

Quippe tuis tandem en surgit de fratribus **ALTER**:

Cui Pastoricia tempora cincta mitra.

Ipse suæ (gaude jam) postmodo gloria **GENTIS**:

Ipse tui (gaude) culmen honoris erit.

**MELITES INCOLAE FAUSTUM NOVI ANTISTITIS**

**IN URBEM INGRESSUM AUSPICANTES**

### VI.

O votis, **PRAESUL**, meta optatissima nostris!

O alter nostri splendor honorque soli!

Ingrede're auspiciis lætam felicibus urbem;  
Jam mitra in rutilis irradiante comis.  
Mellea gens, plaudens PASTORI occurrite vestro:  
Dicite io: aether io: terra reclamet io.

## ECCLESIA MELITENSIS

### AD NOVUM SPONSUM

#### VII.

O ego prae reliquis fortunatissima sponsis,  
Dum, FERNANDE, jugor sponsa pudica tibi!  
Scilicet alterno semper jungemur amore,  
Vtpote quos unum fudit idemque solum.

## PRO SEMINARIO

#### VIII.

Quam te hoc, quod coluisti olim, FERNANDE, Lycaeam  
Jam modo PASTOREM gaudet habere suum!

## SACRI ATHENAEI EPHEBI

### SUB NOVI PRAESULIS PATRISQUE

### AUSPICIIS EXULTANTES

#### IX.

Ater quos moeror torquebat Patre carentes,  
Auspicia exhilarant, PRAESUL O AMPLE, tua:

Quae nova pectoribus dein auget júbila nostris,  
 PASTORI indigenae plaudere posse tibi!  
 Dexter ades: blandoque omnes jam respice vultu:  
 Providus & nobis, quaesumus, esto PATER.  
 At quid sollicito te animo, FERNANDE, precamur;  
 Si in nos jam pectus fervet amore tuum?

### AD SEMINARISTAS

#### X.

Crescite jam teneræ, Melitae spes, crescite Plantae!  
 Solers FERNANDI quas modo cura fovet,  
 Felices, tanti quas irrigat imber amantis:  
 Nullam non vobis PROVIDUS addet opem:

#### ALIUD

#### XI.

Crescite jam, tenerae, Melitae spes, crescite Plantae:  
 Quis virtutum uber postea semen erit.  
 Ecce novus, vestram cui cura est maxima, cultor:  
 Vel lacrymis, o amor! vos rigat ipse suis.  
 O ergo prae aliis vos terque quaterque beatae!  
 Quid non crescitis, hic dum imber amoris alit?  
 At quod fortunam complet, non advena cultor:  
 Fervidior cui ideo pectus adurit amor.

TRADUZIONE  
DEL PRECEDENTE EPIGRAMMA  
PER LI SEMINARISTI.

SONETTO.

**C** Rescete omai, dolce di Malta speme:  
Crescete tenere Melitee Piante:  
Onde ne coglierà ella un tempò seme  
Di bell' eroiche virtù ed opre sante.

Eccovi nuovo Cultor, cui non preme  
Di vostro ben cura ultima infra tante:  
Fatiche anzi non sdegnà per voi estreme:  
Di tanto zelo arde il suo cuor amante.

O voi per mille volte dunque beate!  
Ah! qual progresso mai non sen' attende,  
Da sì benigni influssi vegetate!

Ma ciò, che piena vostra sorte rende,  
Si è, che un Cultor natlo d'aver vantate:  
Cui d'alto amor fiamma più viva accende.

8  
PRO ILLUST. AC REVERENDIS. CAPITULO  
S. CATHEDRALIS ECCLESIAE  
IN ELECTIONE AD MELITAE EPISCOPATUM  
FR. FERDINANDI MATTEI,  
EJUSDEM CAPITULI ANTE DECANI  
EPIGRAMMA

XII.

O sacri Melitæ Proceres, atque inclyte Coetus,  
Cruce cui ornat pectus, candida mitra caput;

En tandem Eois resonat tibi nomen in oris;  
Dum FRATREM decorat clara tiara tuum.

Ipsi tu certe magnum auges jam decus : auget  
Inque vicem magnum jam decus ipse tibi.

# ELEGIA

Plaudite PASTORI, Melitæ grex, plaudite vestro:

Dicite io: lætos tollite in æthra sonos.

Solvantur vestræ blanda in modulamina linguæ:

FERNANDI laudes dulciter ora canant.

Orpheï præclarum mox sumat dextera plectrum:

Jæger & docta concrepet arte lyra.

Stravius haud illa quæque altera mulceat aures:

Atque suo dulci cuncta canore trahat.

Non crotalum, non tibia, non huic tympana desiat:

Quodque valet blando cor recreare sono.

Dum variis autem reboat concentibus æther;

Talia jucundis fundite verba modis.

Salve nostrorum splendor, FERNANDE, Penatum:

Salve laus GENTIS, gloria honorque tuæ.

Per te lugubres Melitæa Ecclesia vestes

Ponit: & a lacrymis temperat uda suis.

Per te formosæ redit illi gloria Sponsæ:

Atque in ea rutilum fulget, ut ante, jubar.

Tu jam ovium, non Pastor erat queis, cura suarum:

Pascua temporibus tu dabis ultro suis.

Non metus, aut malesuada fames, aut turpis egestas:

Non, TE PRAEULE, eas opprimet atra sitis.

Non dirus, te illas, lupo, usque tuente, vorabit:

Lædet & insidiis bellua nulla suis.

Nec fera, te curante, lues populabitur illas:

Prompta, si qua tamen serpsit, arte fugas.

Herois nimirum animo vestigia versas

Jam, FERNANDE, tuo: jam illa premenda putas.

Jure quidem speculum tibi proposuisti tantum:

Quæ fugienda ipsum, quæque sequenda notat.

Jam non extinctus nobis Labrius ergo:

As te, PRAEUL, vivere pergit ovans.



Æquales reliquis estis dum in partibus ambo ;  
 Unus inæquales vos facit esse polus.  
 Nimirum peregrini illum fovere Penates :  
 Nostra at te tellus fovit amica sinu.  
 Quare, quo tuum eget, latet haud te, PASTOR, ovile :  
 Quæque nocere queunt, nulla pericla latent.  
 Alta tuæ dein accedit Prudentia mentis :  
 Quam pectus nutrit jam, Pietasque, tuum.  
 In te propterea pauper, vidua, orphanus, & jam  
 Cuncti in te, PRÆSUL, spem posuere suam.  
 Subsidium tu inopis, viduæ columenque relictæ :  
 Omnibus auxilium porrigis ultro tuum.  
 Vive ergo : & Superi longævum dent tibi tempus :  
 Fila secet vitæ nec cita Parca tuæ.  
 Vitalesque licet tandem tu liqueris auras :  
 Atque erit exuviis terra petenda tuis ;  
 Hoc vota haudquaquam, PRÆSUL, nostra irrita reddit :  
 Nec minuet vitæ tempora longa tuæ.  
 Scilicet in melius cupimus post fata resurgas :  
 Vivasque Empyreo tempus in omne polo.  
 Scindat sic Atropos licet hujus stamina vitæ ;  
 Fila tamen ducet non resecanda soror.  
 O utinam' ergo alti <sup>vultibus</sup> fulgebis splendor Olympi :  
 Nosque <sup>capiti</sup> erimus nexa corona tui !

FINIS.

